



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

Praeceptvm Septimvm, Non Fvrtvm Facies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

Non moecha nisi in facie tantum uerborum & litera, sed maxime affirmatiuum, quia praecipit scilicet Castitatem & continentiam purissimam intus & foris; quis autem sapiat tam stulte, ut castitatem neget esse rem affirmatiuam? sed negatiue praecipitur, dum prohibetur libido, ut purissima sine omni mixtione libidinis precepta intelligatur, ut Psal. xj. Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.

Ac per hoc iam patet, quomodo per legem fit cognitio peccati, quia concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces, Roma. vii. scilicet quia solum opus peccatum putabatur. Igitur non satis est, ut opere non moecheris, non satis, quod uerbo sis pudicus & aspectu, aut alio quouis signo, immo nec hoc satis, quod corde non consentias, nisi etiam tandem purus fias ab ipsis motibus malis, intus ebullientibus: ideo non nisi gemitus pro gratia dei super est cum Apostolo Roma. septimo: Infelix ego homo, quis liberabit me de morte corporis huius?

PRAECEPTVM SEPTIMVM,

NON FVRTVM FACIES.

Spūalis Intelligentia.

A Vdiuimus quod praecipitur quintum, Non occides, prohibuit offensam proximi in sua propria persona. Sextum autem, Non moechaberis, offensionem eiusdem in persona sociali, eademque carne. Et utrumque tam in opere quam corde, tam affectu quam effectu: ita ut satis constet, quod spiritualis intelligentia istorum praecipitorum negatiuorum sit ista affirmatiua, ut mites & casti simus, intus & foris, prorsus sine omni, tam amaritudine irae, quam dulcedine concupiscentiae. Quae duo sine charitate spiritus haberi prorsus non possunt, quia sunt fructus spiritus. i. Corin. xij. & Gal. v. Ideo plenitudo legis est dilectio. Haec enim est mitis, & nulli nocet, immo omnibus prodest, & prodesse cupit. Est etiam casta & sancta, ideo neminem polluit.

Duplex intellectus.

Sequitur nunc prohibitio offensionis in rebus proximi, quod aequae sine charitate fieri non potest, saltem in spiritu. Vnde & hic quoque notandum, quod hoc praecipitur dupliciter intelligitur.

Literalis.

Primo ad literam & secundum sonum uocis, sic solummodo opus ipsum furti hic prohibetur, quia dicit: non facies furtum, non utique ait: Non doceas, non ostendas, non cupias, sed, non facies, sic Iudaei intellexerunt, & superbi facti sunt in iusticia sua, tanquam non essent rei prauaricationis. Vnde cum ipse Luca. xvj. huius praecipiti ueram daret intelligentiam, dicens: Non potestis deo seruire & mammonae. &, Facite uobis amicos de mammona iniquitatis; audiebant haec omnia pharisaei, qui erant auari, & deridebant eum. & ait illis: Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est apud deum. Ecce quomodo corda requirit in iustificatione

Deus cor requirit in praecipitorum iustificatione.

Lex & prophetae usque ad Ioannem: Ex eo regnum dei euangelizatur, & omnis in illud uim facit, facilius est autem caelum & terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere, Ecce uolentia opus est in dei praecipitis, quia tantum cortex uerborum, sed nec unus apex praeteribit &c.

Spiritualis. Pauperes fideles intelligunt.

Secundo ad spiritum & secundum intentionem praecipientis, sic omnem cupiditatem hic prohibet cordis, ita quod sit impossibile impleri illud, nisi sis pauper spiritu

spiritu, ut Mathæi. v. Beati spiritus pauperes. proinde in Psalmis, proprio uelut nomine, fideles Christi uocantur pauperes. Pal. ix. Dum superbit impius, incendit pauper. Et iterum: Et factus est dominus refugium pauperi, & quoniam non in fine obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in fine. Igitur spiritus huius litteræ est paupertas in spiritu, quare manifeste patet, quod sine gratia dei nullus implet hanc legem, cum sit homo naturaliter cupidus uitio primi peccati.

Corollarium sequitur.

Quod legis huius in littera impletio, est nihil aliud, nisi decipula quadam. Psal. v. Quonia non est in ore eorum ueritas, cor eorum uanum est. Heb. sic: Quonia non est in ore eorum rectum (quia docet, s. umbram & litteram operis tantummodo in precepto) interiora eorum insidiosa (quia decipiuntur, dum sese iustos credunt, falsi specie operum, ut non agnoscant malum suam cupiditatis) ideo non gemunt pro gratia, nec peccatum confitentur, sed stant securi. Ideo Rho. ij. contra eos dicit: Qui doces non furandum, furaris, scilicet cupiditate, licet non opere.

Iurista autem hoc preceptum non adeo late exponunt, sed manent in limitibus furti, uerum coram deo, quicquid agit uoluntas, facere dicitur, etiam si opus non sequatur. Scrutatur enim deus renes & corda, Psal. vij. Ideo nos in totam latitudinem operum eamus, quare cupiditas perficit: sed heu quanta est latitudo deus bone

Quis enim auaricie & specierum eius uituperia non audiuit. Igitur primum opus est secundum sonum textus, ipsum furtum, hoc rursum in quinque species, scilicet furtum simplex, sacrilegium, peculatus, abigeatus, plagiatus, de quibus Iurista. Nam hoc preceptum secundum litteram copiosissime & diligentissime tractant in omnibus speciebus, teste proprio eorum sermone, quod iuridica facultas sit de pane lucrando: tolle meum & tuum, & nullo iure opus fuerit, & sane in finitum negocium prebet ista cupiditas hominibus eiusmodi. Igitur furtum est rei aliena usurpatio, domino inuito & ignorante: quod si sit in rebus priuatorum est furtum simplex: si in rebus sacris, sacrilegium: si in republica, peculatus: si in ablatione iumentorum & pecorum, abigeatus, si in ablatione hominum, plagiatus.

Hos quinque gradus dire puniunt leges hodie, ut notum est. Olim uero in lege furtum non puniebatur ultione mortis, ut Exodi. xxij. sed pro oue una, quatuor, & pro boue uno quinque reddebant, si tamen uendiderat aut occiderat. Si autem adhuc integra apud eum reperiiebantur, duplum tantum reddebatur, quod si reddere non habuit, ipse uendebatur. Hac certe lex adhuc bona esset, nimis enim rigidum est, ne dicam iniquum, pro rebus uitam auferre, & animam pro uitae tolli. Nonne corpus melius est quam uestimentum, & anima plus quam esca? Vnde & Prouerbiorum sexto, legem Moysi secutus, ait. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit, & hoc est uerum, si solum fuerit furtum. Vnde sequitur: quales intelligat furtum, d. Furatur enim, ut esurientem impleat animam, deprehensusque reddit septuplum, & omnem substantiam domus sue tradet, & liberabit se: qui autem adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam.

At adulterium hodie mitissime plectitur, magna certe iniquitate, furti intensa poena, quare potius laxari debuit quam adulterij, maxime furtum, quod inopia corporis fit & penuria.

Porro sacrilegium adhuc atrocius omnibus punitur, scilicet rota, cum tamen sit eadem res sacra & prophana, quo ad precium & usum, uerum reuerentia sacrarum neglecta, tam acriter castigatur. Sed & hic supersticiosissimus est presidentium rigor, qui nihil ita fulminat, atque execrantur, ut regularum suarum, reddituum, possessionum, auri scilicet & argenti usurpatores, hic sunt centies Argi: & quidem uigilantissimis

Paupertas in spiritu.

Cupiditates suas nesciunt

Voluntas coram deo perperditur.

Furti uaria genera.

Iuridica facultas. Furtum. Sacrilegium. Peculatus. Abigeatus. Plagium.

Iniquum est propter res sublatas, hominem occidere.

Adulterium grauius furto

Sacrilegium mira atrocitate punitur.

**Iudicium seu-
ritas rigida i
furto, in ma-
loribus floce-
scit.**

tissimis uigilantiores. Verum quod interim tot milia negligunt animarum, quod stupris adulterijs, reliquisq; libidinum portentis totam foedant ecclesiam, praeter in satiabilis auaritia auerum, cum simonijs suis ac dolis & fraudibus infinitis, nemo punit, sed potius honorant qui faciunt. An forte ideo leuiora tam grauius puniunt, quod tam grauius non ad illos, sed ad deum pertinent grauius puniri? Et id certe credo uerum, quod deus sibi uindictam seruat eo durior in grauissimis, quo ipsi grauiorem exercent in leuioribus. Quanto tutius agerent, ut furibus & sacrilegis parcerent, sicut sibi uolunt parci a deo. At si illis parcerent, iam certe ipsa penuria cogent & ipsi melius uiuere; non parcent igitur, ne sibi quoque parcat apud deum; sed sine illos, caeci sunt. De reliquis tribus furtis remitto ad Ciuiles iuristas.

**Nobiles nunc
insigniores
sunt rapinis.**

Secundum opus, est latrocinium, quod a furto ea differt grauitate, quod non ignorante domino, sed praesente & manifesta ui rapit alienum; tamen magis raptores quam latrones in uocandi sunt, quod latrocinium inuoluit homicidium. Hoc peccatum autem nunc decus & titulus est nobilium, & in illis quandoque puniuntur qui sese defendere nequeunt, aut resistere. Satis hoc peccatum negociatores, & grauitatem eius nouerunt, qui ex eo aliquando doluerunt.

**Usurarius est
fur publicus
& sanguisuga
populi.**

Tertium opus, est usura; de quo Cato Censor Rhomanus, fures priuati in neruo & compede uitam agunt, publici uero in auro & purpura; unde usurarius sanguisuga populi dicitur: Et similitudine describitur talis, ut uermis in pomo uel nucce, totum intus uastat, ita usurarius substantiam ciuitatis deuorat, miris & oculis modis; quo uitio adeo Iudei laborant, ut etiam sibi licere, immo iuberi ex lege putent, ubi dicitur Deute. xxiiij. Non foenerabis patri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quolibet aliam rem, sed alieno; fratri autem tuo absque usura id quod indiget, commodabis; hoc Iudeorum duricia tunc permixtum fuit, ut eo libentius abstinerent ab usura in Iudaeos, quo licentius potuerunt in gentiles. At Christiani non paruo gradu peiores sunt Iudaeis, quod etiam fratribus suis foenerant, & tam frequens hoc malum, ut etiam inter raras iusti laudes ponatur. Psal. xliij. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; quod si abstinet multi, timore abstinent non corde. Auaritia enim pestis est profundissima.

**Quae uultis
ut faciant uo-
bis hoies, &
uos facite illi.**

Quartum est fraus in negotio, de qua. i. Thessa. iij. Ne quis circoueniat in negotio fratrem suum, quoniam uinum dexterae est deus de ijs omnibus; sed hoc tam latum est, ut nunc non possit per singula discurre; quomodo enim singula artificia & negotia cum suis excessibus, medijs, defectibus commemorem?

Idcirco oibus in genere illa regula charitatis seruanda est, quam dominus Matth. vi. ponit: Quae uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis, quare in omni tractatu necessarium est unicuique, ut prospiciat prius quam secum uellet agi, si esset in alterius loco, ita faciat & ipse, & tutus erit, haec uocatur lex naturae, immo est charitatis. Charitas enim est quae considerat quae sunt aliorum, & prius inspicit quid sibi uelit fieri, ut sic faciat proximo; ideo enim dominus addidit, dicens: Haec enim est lex & prophetarum; sed lex & prophetarum sola charitate implentur, ideo si est lex naturae, est naturae sanctae & incorruptae, quae idem est cum charitate. Qui autem hanc regulam praeterit, facile etiam fraudem perficit, antequam aduertat, quoniam periculum fidei est in omni negotio, nisi ut aliqua seruet & industria.

**Mundus nihil
aliud quam mu-
tua rerum ra-
pina.**

At quanta est hodie fraudis copia? omnis domus & platea plena est, & omnes de ea queruntur: Nam & rustici alioqui rudes, ad fraudem sunt instructissimi. Et sane hoc unum etiam preceptum satis indicat quid sit mundus, cum sit non nisi rapina mutua rerum. Et quod magis dolendum est, ea nunc consuetudine fraus agit, ut ne conscientiam

scientiam quidē inde patiatur, quin bene se fecisse sibi uideant, si alter alterum illuserit & imposuerit: sed uæ mundo. Igitur tu corre per singula officia artū & numerā fraudes, cū quotidie excogitent nouæ: ut sit piculi res plenissima, cū hoībus agere: lucē uertunt intenebras, & tenebras in lucem: deniq; obtinuit, ut omnes uenditores pluri exponant, & emptores minoris accipiant, q̄ res sit in proprio p̄cio, scilicet, quia usu fallēdi mutuo, nullus alteri credit primis uerbis.

Quod autē dictū est de operibus huius præcepti, & de spirituali intelligentia eius, quod scilicet paupertas spiritus sit eius uera intētio, ut mortificet insatiabilis illa bestia, auri sacra fames, auaritia, philargyria, & cupiditas, radix omnium malorū, ut Apostolus ait: quæ infinitos hodie laqueos tetendit & auget semp: non intelligendū est de paupertate in effectu, sed affectu. Nam & mendici ac religiosi possunt esse ditissimi cupiditate & auaritia interna, maximiq; fures corā deo, dū inuidēt habentibus, & cupiūt eorū facultates. Et Ap̄lus uocat hoc uitū Idololatriā, sicut Psal. lxxvij. dicit, q̄ seruiērūt sculptilibus Canaan, id est, denarijs. Nam Canaan mercator & negotiator dicitur, cuius sculptilia quæ alia possumus figurata credere, q̄ aurū & argentū signatū, monetatum & conflatum ē.

Deniq; q̄ sint cultores auri, & serui eius, etiā Psal. lxxv. habet, d. Et nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarū in manibus suis. Non, ait, diuitiā uirorū, sed, uiri diuitiarum: ut possessos uiros, possidentes diuitias intelligas; illi seruant, istæ seruant: ideo illi serui, istæ domine.

Igitur ut cōcludamus (cū sit omnibus notissimū hoc uitū) breuiter hoc præceptū impletur, si non solū ex opere abstineas, immo nec satis est, corde non cupias, nisi & æquissimo aīo feras, tua tibi auferri: nā nihil p̄dest, si aliena non cupias, tua autem impie diligas. Sicut in quinto præcepto in seipsum quis potest occisor fieri, etiā si nullū aliū occidat, aut nemini sit iratus. Et in sexto, cū ppria uxore adulter esse, ut dictū est, ita & in proprijs rebus etiā fur & auarus esse poterit, dum nimis tenaciter diligit sua: quāq; qui seipsum occidit, quis eū credat nō etiā aliū occisurum esse, aut uitam ei saltem inuidere? Et qui cum propria coniuge abutitur libidine, quis præsumat quod non alienā polluat, saltē concupiscerit, cum sit totus libidine furens? Ita qui sua nimis diligit, quis credet quod nō etiā aliena cōcupiscat? Igitur neuter esse debet in bonis quibuscūq; si abeūt, ne tristet: si ueniant, ne latetur, secundū illud Psal. lxj. Nolite sperare in iniquitate & rapinas nolite cōcupiscere. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Hoc autē uitata natura nō habet, sed oportet illud in Christo haurire, qui p̄ nobis pauper factus est. Immo nec hoc gradu sit cōtentus, sed uideat etiā, ut de suis bonis magis uelit alijs impartire, q̄ aliena cōcupiscere: nā hoc habet charitas, quæ sola est impletrix legis, ut non solum longissime abstineat a rebus proximi, sed etiam proxima fiat conferendo res suas, si potest commode: nam id sine dubio quilibet sibi fieri uellet, scilicet ut sibi tribueret, & nemo sua cuperet, sed omnia candide fauerent. Nec potest regula melior tradi in hoc præcepto, tã perplexis negocijs dato, q̄ ut quilibet, in quocūq; negotio cum proximo egerit, ante oīa corā oculis ponat hoc dictū Christi, scilicet spirituale interpretamētum omnīū præceptorum: Quod uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Et illud Tobie: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris: hoc em̄ aspecto facile quiuis eruditus, quid & quomodo agere debet in quocūq; casu huius latissimi præcepti.

Nam si tibi faues diuitias, nō autem proximo tuo, iam non habes charitatem, sed cupiditatem, & peccasti in hoc præceptum. Es enim fur coram deo, quia id quod proximo debes, scilicet fauorem rerum, abstulisti ab eo.

Ex qui

Paupertas in
spū precipit.

Furtū in hūc
modū cauet,

Fur, etiam in
pprijs rebus

Imptre sua
proximo.

Spūalis inter
pretatio oīm
præceptorū.

Preceptū hoc affirmatiuū est. Ex quibus patet, q̄ multi detestentur fures & furta, ipsi multo maiores, cum sine gratia nullus sit, cui⁹ cor non inquinetur avaritiā, uerū illos fures stranguat Imperator, hos uero ipse perdet omnium creator. Vnde nec istud præceptum pure est negatiuū, immo affirmatiuissimū, scilicet, ut sit homo larg⁹, facilis liberalis in proximū, qualis esse nō potest, nisi sit purissimus a furto in spiritu, ideo negatio illa expressior est, q̄ affirmatiua, cum possit aliquis esse quidem liberalis, ut in statu incipientium, sed tamen nō sine cupiditate, ideo nondum perfecte legis huius impletor, qui debet esse purissime liberalis.

Lusores sunt fures. De lusoribus etiam quaritur, an sit fures, & ad restitutionē teneantur. Quod lusores cupiditate & avaritia peccent (qui saltē propter lucra ludunt) ac per hoc coram deo fures sint, alienaq; facultatis appetiores, manifestissimum est. Nullus enim cum alio ludit, ut sua illi tribuere uelit (id em̄ sine ludo facere potest) Nec ut sua amittat, nec ut alienum uelut suū quærat lucrū, ac per hoc ludus semper est contra charitatem, & secundum cupiditatem, quia quærit quæ sua sunt cū damno alterius, & saltem nō ita quæ sunt alterius, sicut quæ sua sunt.

Lusores non tenentur ad restitutionem. Attamen non tenetur ad restitutionem, quia corā hominibus non rapit, nec usurpat rem alienam inuito domino, sed consentiente per pactū ludi, uterq; em̄ ponit sua in periculum, faciens, & uolens; ideo qui amittit, scienter & uolenter amittit, lex enim iustissima est, ut qui amat periculum, pereat in illo; nisi forte per fraudem luserint.

Sacerdotes plurales tenentur ad poenitentiam, & nō ad satisfactoriam. Optima tamen pœna foret, si posset fieri, ut uterq; amitteret, hoc enim esset ius ludi uerū, quia uterq; cum periculo suo cupiditate erga proximum exercet. Aut certe, ut filicus principalis utriq; tolleret lucrū, eo q̄ contra edictū & Canonem ecclesiæ agant ludendo. Quod autem nō sit necesse restitui, patet, quia nō esset alia causa, nisi quia cum peccato & contra legem acquiritur lucrū eiusmodi; sed si omne tale est restituendum, quod cum peccato acquiritur, iam etiā meretricis, immo omnia alia mercatorū & negociatorū, quæ mendacijs, periurijs (seclusa tamen fraude erga proximū, & dolo in re quæ tractatur) cupiditate uenduntur & emuntur, essent restituenda, quod est absurdissimū: quia in ijs nō est facta iniuria proximo, sed deo & legi, ideo tenetur ad restitutionem, non rei acquisitæ, sed uoluntatis suæ malæ, quam ibi expleuit, quod fit per contritionem & poenitentiam. Eodem modo de sacerdotibus & religiosis, uel non oratib⁹ seu satisfactoriis, uel pluralia beneficia possidentibus, non tenentur ad restitutionem, sed ad poenitentiam de abusu, quia Papa habet potestatem illa bona conferendi, tu tantūmodo uideris, qui impetras uel te ingeris, olim trahebantur fugientes ad sacerdotia, ideo a populo diligebantur: nunc irruunt retrahente populo, ideo oduntur, sed hæc avaritia hodie horribiliter crescit in beneficiorū occupatione, at si sine fraude impetrentur, non est restitutio faciēda. Quamq; sine fraude seipm̄ ingerere, præsertim ad officia curarū, nō uidet̄ satis possibile, fraudatur em̄ Papa & populus, si non fuerit talis, qualis requiritur. At quis hoc de seipso audeat affirmare? & tamen non pudet pro seipso supplicare.

Reditus pecuniarū. Tandem & contractus reemptionis in magnum damnū totius mundi, nunc avaritiæ seruit, cū ideo census emanant, ut lucra augetur, & certa fiat substantia sine labore & periculo, non ut deo liberius seruiant, aut necessitate provideant, cū tñ intentio Papæ fuisse & esse uideat̄, nō ut ocio uacēt, nā labor & sollicitudo oibus imposita sunt. Gene. iij. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Et Job. v. Homo natus ad laborē, sicut auis ad uolandū. Igit̄ aliq̄t causas assignemus.

Emēdorū redituum iustæ causæ.

mus iuste celsus emēdi, si scilicet sunt primo senes, pueri, infirmi: ij enim fati ha-
 hent laboris ex ipsa uita sua. Secūdo, Si sunt alio labore occupati, scilicet qui
 deo seruiunt, ut religiosi, sacerdotes, praelati, studio uerboꝝ dei uacātes. Et qui
 communitati seruiunt, & alienae necessitati, ut Principes, senatus, praesidētes op-
 pidis, uillis. Alioquin si de^o unicuiq; secūdū suū laborē redditur^o est, qd recipiēt
 ociosi, q pecunia sua nō nisi ad lucrū, lucro nō nisi ad otīū, otio nō nisi ad delici-
 as, delicijs nō nisi ad peccatū abutunt^r. Nō ergo illi sunt securi, qui tantummo-
 do sibi seruiunt censibus emptis. Nō quod emere census adeo sit malum, sed q
 auaritia in hoc seruire, nec aliud q̄ diuitias securas quærere, peccatum est.

PRAECEPTVM OCTAVVM.

NON LOQVERIS CONTRA PROXIMVM
TVVM FALSVM TESTIMONIVM.

Vltium linguæ, quam apostolus Iacobus mundū iniquitatis appellat,
 omniū post cor membrorū est peccaminosissimū, nec ullū mēbrū tot
 spēb^o peccat excepto corde, qd oib^o spēbus peccat. Nā linguæ uitū in
 iurādo, pmittēdo, orādo, docēdo, nomē dei assumēdo &c. Prima tabu-
 la in secūdo p̄cepto phibitū, id est omne uerbū qd contra deū directe peccat. Itē
 phibitū est tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, & nunc octauo, prorsus per
 omnia p̄cepta, prater .j. .ix. x. quæ solum animū tangunt. Nam cōtra tertium
 agit, non orando, gratias agendo, legendo die festo. Quartū parentes sup-
 be alloquendo, irreuerēter respondendo, exprobrando &c. Quintū, maledi-
 cendo, detrahendo, criminando &c. Sextū, impudice loquendo. Septimū
 furandi consiliū, exhortationē, excusationem, defensionem dando. Octauū,
 nunc ut uidebitur mētiendo, adulando &c. Igitur sicut phibitū est nocumētū
 personæ propriæ, personarum attinentium, rerum corporalium. Ita nunc bono-
 rū quæ sunt in fama, laude, honore, nomine phibetur nocumentum.

Contra hoc p̄ceptum peccant,

Primo & propriissime docti, maxime autē Theologi & uniuersi, qui falsa tra-
 dunt discipulis, & utriq; dupliciter. s. uel scienter uel ignoranter, & secūdū hoc
 grauius peccant, uel leuius. De Theologis primū, quia ij grauissime omniū pec-
 cant cōtra hoc p̄ceptum, quando scripturā sanctā & uerbū dei peruertunt, &
 false exponunt, uel aprant non recte. Hinc em̄ fit, ut false dictū, occidat animas,
 aut saltē discrutiet infelices conscientias. De primis horū sunt heretici & Mo-
 nij Singulares, qui dei uerba suis sensibus aprant, & in sui obsequiū captiuant
 cū deberent cōtra. & hoc in ijs, quæ pertinet ad fidem & salutē, hoc tam magnū
 peccatū reputatur apud deū, ut nullū aliud in scripturis frequentius acriusq; ar-
 guatur per oēs figuras & prophetias. Vnde Psal. iij. Filij hominū usq; quo gra-
 uī corde, ut quid diligitis uanitatē, & quæritis mendaciū. Et quinto. Odisti om-
 nes qui operantur iniquitatē, perdes oēs qui loquunt mēdaciū. Vbi de talibus
 magistris loquitur, ut patet infra: Decidant a cogitationibus suis, i. studijs &c.
 Et Pal. primo, Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum, & in uia peccato-
 rum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit. Et ubi cūq; de dolosis, lin-
 gua; dolosa loquitur, hos pseudomartyres, id est, falsos testes taxat.

Dico ergo, Nunquid excusantur, cum faciant id pia intentione & zelo dei?
 Sic enim sese heretici solent excusare, ut nostri uicini Pighardi Boemiae. Re-
 spondeat

Linguæ uita
uaria sunt.

Theologi &
qui falsa do-
cent, peccant
cōtra octauū
p̄ceptum.

Heretici
Monij.

Superbia est
non celsus in
temeritatibus
scripturam.